

48

DECRETUM



V A L E N T I N A

Beatificationis, & Canonizationis

VENERABILIS SERVI DEI
FR. ANDREAE HIBERNON

Laici professi Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum S. Petri de Alcantara
Provinciae S. Joannis Baptistae Valentiae

SUPER DUBIO

*An, stante approbatione Virtutum, et trium Miraculorum, tuto procedi possit
ad ejusdem V. S. D. Beatificationem?*



VENERABILIS DEI SERVUS ANDREAS HIBERNON, qui, vitae consiliorumque societate S. PASCHALI BAYLONI conjunctissimus, parem cum eo sanctitatis opinionem fuerat consequutus, eidem in publico Ecclesiae cultu paucis ab obitu annis sociandus fore videbatur; quippe rerum ejus gestarum, et Miraculorum monumenta, quibus Causa nuper ad exitum perducta est, jam erant omnia inde ab eo tempore comparata. At Deus O. M., cujus sapientiae dumtaxat apertum est quid cuique aptum consentaneumque sit tempori, ita rerum eventa arcano consilio disposuit, ut BAYLONE

jamdudum in Sanctorum numerum relato, hujus Beatificationi morae aliae ex aliis ad haec usque tempora necerentur.

Ut vero primum solennes judicii ritus sunt absoluti; cum de Caelitum honoribus ei decernendis agere tandem fas esset, SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PIUS SEXTUS PONT. MAX. convocatos coram se pridie Nonas hujus mensis Sac. Rit. Congregationis Patres interrogari voluit a Rmo Cardinali CORSINIO Episcopo Sabinense Causae Relatore, utrum id tuto fieri posse censerent: qui, inspectis binis Sedis Apostolicae Decretis, altero de Virtutibus ejus heroicis, lato Idibus Jun. anni MDCCLXXIV.; altero IV. Nonas Octobr. superioris anni, quo ejusdem patrocinio tria Miracula adscripta sunt; nihil praeterea ad hujusmodi decus ei tribuendum desiderari unanimes censuerunt.

SANCTISSIMUS autem consueta tunc ampliacione indicta, cum his interjectis diebus plurimas Deo preces ad luminis impetrationem adhibuisset, appropinquante hodierno die, in quo PRINCIPIS APOSTOLORUM CATHEDRA ROMAE constituta anniversaria festivitate recolitur, opportunum fore ratus est, si praeclaram hanc jurisdictionem eidem CATHEDRAE reservatam hoc ipso die in ejus honorem exerceret. Quare, accitis Reverendissimis Cardinalibus CORSINIO Causae Relatore, et ARCHINTO S. R. C. Praefecto, nec non R.P. Carolo Erskine S. Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, post incruenti Sacrificii oblationem, in VATICANAE BASILICAE SACRARIO rite pronuntiavit: *Tuto procedi posse ad Beatificationem V. S. D. ANDREAE HIBERNONIS.*

Atque hoc Decretum publice proponi, et in S. R. C. acta referri mandavit; nec non Litteras Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione in Basilica Vaticana suo tempore facienda perscribi jussit. xv. Kal. Febr. MDCCXCI.

J. Card. Archinto Praefectus

Loco ✕ Sigilli

D. Coppola S. R. C. Protonotarius

ROMAE, Ex Typographia Reverendae Camerae Apostolicae 1791.